Docturam Theologicam adspirare Basileæ. Honestius fortè in imis subselliis adhuc se contineret. Sed et rara eruditio ejus fortè me latet. Vale 9. Augusti 1616.

D. Georgio Michaëli Lingelshemio 202.
Consiliario Archi-Palatino intimo
Salutem!

Penè exciderat memoriâ epistola quotidiana apud me nimis relicta, occupatum tunc scriptione, quam nosti, quamque me cum bono Deo expeditum iri. Bene igitur heri aurem mihi vellicasti, misso libello de Semi-Pelagianismo: quem quia et jam in meis chartis hodie reperi, nunc tibi una cum epistola reddo. Ejus partem posteriorem cum relegerem, venit mihi in mentem Epimethei, cujus fabulâ Poëtæ historiam Mosis de lapsu Adami videntur æmulari, vel eludere voluisse. Utinam Pandora cum pyxide nunquam suscepta fuisset. Nunc pyxide apertâ, postquam πλείη γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα, vereor ne serò quæratur consilium. Si initio, volente unâ potiore parte, Synodus cum Magistratus authoritate data fuisset, vel pars altera absque tergiversatione causam suam agere voluisset; facilior erat futura conciliatio, quam et ego epistolis meis ad amicos semper suasi, et me benè sperare scripsi, quamdiu Vorstius, suspectissimus homo, in cathedram publicam non admitteretur. Jam ventum ad extrema exitium. Domi Ecclesia Belgii prius tranquilla, misera, turbata, lacerata: foris fabula facta Jesuitis. Lutheranis quasi in manus traditis gladiis, quo Ecclesias Orthodoxas confodiant, conciliationis spem omnem præcidunt. Nosti, vir præstantissime, et audis quotidie ita rem esse. Quantum ego his malis et scandalis ingemiscam, credi non potest. Quid ni verò paratissimus sim, consilio, imò remedio ferendo, si quod habeam in manu? Quid Molinæus suadeat nescio: hoc scio, in controversia longe minore, imò λογομαχίᾳ περὶ ἀδιαφόρων fuisse rigidum calidumque plus satis. Si contrariarum sententiarum in his maximis, Gratiæ Dei et πληροφορίαν Christianam plane continentibus, tolerantiam in suo territorio simpliciter suadeat, quod non

arbitror: cum certissimo Ecclesiarum exitio, Rei-
publ. periculo consilium conjunctum fuisse docebit e-
ventus. Ego Syncretismum et tolerantiam suasi no-
stris et Lutheranis, fateor: Sed eos ὑπερτιθῶ ad Syno-
dum, in qua fiat placida sententiarum collatio, cognitio, et
Deo annuente compositio: omissis, imò profligatis cum
authoritate ἀσυλλογίστοις et iniquissimis consectariis, qui-
bus acerbiùs, quàm de ipsis quaestionibus, quae legitimè in
controversiam veniunt, ferè decertabatur. Quae via si utri-
usq Belgis placebit, nihil utiq. Lutheranis scripserim
quod non et ipsis. Si Synodus non placet, ne quidem for-
te Ecclesiarum orthodoxarum arbitria subire placeat i-
uim in Praedestinationis καὶ τῶν ἐξαιρέτων dogmate fa-
teatur D. Grotius partem suam Luthero, quàm Calvino
malle accedere. In proclivi res videtur, nec tanti est
nomen Calvini, ut nunc laceret Ecclesias, quod nunquam
professa sunt. Ex conventione igitur partium fiat consen-
sus in formulam doctrinae Lutheri de servo arbitrio
et alibi explicatam, nec non S. Augustini, ex Responsis
Tom. VII. de Massiliensium doctrina editis in certa
capita digesta, et de hac consensione edito scripto
leniorē scandala publica mitigentur, ὑπερβολαὶ ex-
cusentur. Aliud nihil habeo, praeter spem in fundo pi-
xidis relictam. Vale a. d. 13. Novembr. 1616.

203. S. Clariss. Vir Compater honorande. Quam
mihi de Neohusiano communicasti orationem, plu-
rima vice perlegi ita sermonis accuratissima forma,
et rerū jucundissima series delectabat. Sed promissi
mei, continuò me caepit poenitudo. Nam lecturā
meo fine recepi, sic voluisti: ut monitor in aliquo
essem. Ne ego impudens q aliqd tentarem ejusmodi
Gratiam verò habeo de eo, quod honorificam,
mei